



Crisis Theologica

In Qva Selectiores, Et Aciores hujus, et elapsi sæculi controversiæ,
subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Crisis Theologica - In Qva Selectiores, Et Aciores hujus, et elapsi sæculi
controversiæ, subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Casnedi, Carlo Antonio

Ulyssipone, 1712

§. III. Objectionis solutio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84796](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84796)

N. 140. Modò præcipuum difficultatis punctum est determinare, quando Ecclesia suppleat jurisdictionem; quo deciso, facile erit definire, an confessiones factæ sub probabilitate jurisdictionis, etsi prorsus supposititiæ, fuerint invalidæ, adeoque iterandæ.

§. III.

Objectionis solutio.

SUMMARIUM.

Toties Ecclesia certam dat absolventi potestatem, quoties datur inter classici DD. certò probabilis de jurisdictione opinio, n. 141.

Doctores, ibid.

Aliquæ illationes pro reservatis, ibid.

Rationes, n. 142. 143.

Opinio debet tunc esse certò probabilis, n. 144. 145.

Si non sit certò probabilis, sed dubia de probabilitate non dat, n. 145.

Non satis judicium certò probabile de jurisdictione, sed supervenire debet reflexum, quòd eo stante Ecclesia det certam jurisdictionem, n. 146.

Nulla Confessio ratione absolutionis est invalida, quoties absolutio fundatur, vel in errore communi, vel in titulo colorato, vel in legitima Ecclesia consuetudine, vel in certà de jurisdictione absolventi probabilitate, n. 147.

In his Ecclesia det certam jurisdictionem Confessori, ibid.

Absurdà oriuntur ex ipsà hypothese absurdà, supposità ut verà, n. 148.

Cur Innocentius XII. dixerit, confessiones deinceps faciendas, futuras nullas? n. 149.

An error inculpabilis satis sit, ut Ecclesia det absolutioni valorem? n. 150. 151.

Ignorantia culpabili non dat, n. 151.

Quid importent illa voces, error invincibilis, titulus coloratus, opinio certò probabilis de jurisdictione, dant jurisdictionem, seu valorem? n. 152.

Jurisdictio absolventi est de essentiâ Sacramenti confessionis, n. 153.

Ita insertur ex Tridentino, ibid. & n. 154.

Ecclesia nil directè potest circa materiam, & formam Sacramentorum, n. 155.

Eadem materia confessionis in moribundo, ac in sano, ibid.

N. 141. Dico toties Ecclesiam certam dare Confessori jurisdictionem, quoties adest certò probabilis inter classici Doctores de jurisdictione opinio. Ita expressè P. Card. diff.

P. Card. 2. à n. 161. qui plurimos expressis eorū verbis recitat, quos inter P. Lessium lib. 2. de

Just. cap. 29. dub. 8. n. 68. dicentem: Non solum error communis, sed etiam probabilis Doctorum assertio efficit ut Ecclesia det jurisdictionem. Idem ait P. Suar. tom. 4. in 3. p. d. 27. sect. 2. n. 7. scribens, esse universalem C. de Ecclesia u. sum: si autem est universalis, uti legitur, que est certus: ut Sacerdotes secunde utantur huiusmodi jurisdictione, nempe probabilis. Idem Card. de Lugo d. 19. de Penit. sect. 2. n. 31. facietur dicens, quòd sit Ecclesia totius prædicti usus absolventi sub iudicio de certò probabilis jurisdictione. Idem P. de la Fuente in sua Theologia reformatà, ait enim quòd in illis, quæ ad Sacramenti valorem ex Ecclesiæ dispositione requiruntur, licet sit opinio probabilis: & hanc sententiam plurimis recitatis ait moraliter certam. Idem P. Nogueira d. 7. à n. 81. pag. 76. dicens, quòd jurisdictio absolventi à reservatis ex opinione probabilis sit certa, conferente illam Ecclesiæ; & citat P. Suar. tom. 4. in 3. p. d. 32. sect. 5. P. Sanchez lib. 3. de Matrim. d. 20. n. 4. & d. 22. n. 65. & in Summa lib. 1. cap. 9. n. 3. Balthus Ponce lib. 5. de Matrim. cap. 19. & 20. P. Palao tom. 1. tract. 1. d. 2. P. Tambur. lib. 1. in Decal. cap. 3. §. 3. n. 21. & plures alios, quibus addo P. Mendo disp. 25. cap. 3. & seq. dicentem, omnes confessiones vi suppositæ facultatis vi Cruciatæ factas esse repetendas, nisi ex errore invincibili dictæ opinionis judicatæ fuerint certò probabiles.

Ratio conclusionis est; quia Ecclesia certò dat jurisdictionem, quoties penes sapientes adest error communis, putatus invincibiliter veritas, ut asserunt omnia jura, & Theologi: ex. gr. cum aliquis Sacerdos habetur invincibiliter apud plerisque prudentes, ut approbatus, cum non sit: vel cum habetur ut Parochus ex testimonio ficto, habito invincibiliter ut vero, cum non sit: sed opinio certò probabilis de jurisdictione habetur ut certò vera de probabilitate jurisdictionis, atque adeo est error communis de probabilitate jurisdictionis: ergo Ecclesia tunc dat certam jurisdictionem: ergo quoties Confessor ex certò probabilis de jurisdictione iudicio absolvit, habet ex communi Ecclesiæ praxi certam ab Ecclesiâ jurisdictionem.

Secunda ratio est; quia approbata consuetudo Ecclesiæ aut Principis consuetudo certam dat jurisdictionem, ut omnia jura, & Theologi clamant; sed est consuetudo approbata ab Ecclesiâ, ut Confessores sub iudicio certò probabilis de jurisdictione valide absolvent: ergo Ecclesia tunc certam dat Confessori jurisdictionem. Maior constat ex dictis §. antec. minor patet ex citatis Doctoribus.

p. Card. ribus : & utramque dilucidè probat P. Cardenas *diff. 2. num. 161. ad 171.* quem hanc in materia omnibus præfero; nullus enim hanc ex professo tractat, quin supponunt ut certam.

N. 144. Interim tenacissimè tenendum, me semper loqui de opinione *certò* probabili de jurisdictione: soli enim Sacerdoti habenti illud *certò probabile* iudicium Ecclesia certam dat jurisdictionem; non vero dubitanti de probabilitate jurisdictionis & sue opinionis: ex quo principio bene intellecto, & applicato deducuntur illationes: quæ confessiones sint validæ & non iterandæ; quæ ex defectu jurisdictionis invalidæ, & iterandæ.

N. 145. Ideo in conclusione dixi, Ecclesiam toties dare certam jurisdictionem, quoties opinio est certa de probabilitate jurisdictionis: si enim de eâ sit dubia, tunc Ecclesia certam non dat jurisdictionem. Qui enim esse possit ut Ecclesia certam conferat ei jurisdictionem, cui ita probabile est, ac non est probabile se habere jurisdictionem? dubium enim est ad utrumque contradictorium; sed contradictoriū probabilitatis est non probabilitas: ergo si probabilitas est dubia, etiam non probabilitas est talis, ut sæpe docui: ergo quoties probabilitas jurisdictionis est dubia, Ecclesia non dat jurisdictionem: ergo, cum nemo absolvere possit, nisi certâ gaudeat jurisdictione, hanc autem nemo dubitans de probabilitate jurisdictionis ab Ecclesiâ habeat, consequenter nemo de jurisdictionis probabilitate dubius absolvere potest; nec licitè, eò quia exponet certè frustrationi Sacramentum; nec validè, eò quia Sacramentum erit invalidum ob jurisdictionis defectum, quam Ecclesia non dat ei, qui non habet certum de probabilitate jurisdictionis iudicium.

N. 146. Porro tenendum firmiter est, nullum iudicium certum de probabilitate sive maiori, sive minori jurisdictionis satis se solo esse, nam semper adest periculum frustrandi Sacramentum, atque adeo necessarium est recurrere ad principium reflexum, quod Ecclesia, ut constat ex Fidelium praxi, certam det ei jurisdictionem, qui habet certum de probabilitate jurisdictionis iudicium. Ex hoc principio, ut innui paulo ante, resolvemus, quæ confessiones fuerint, aut sint validæ, & non iterandæ, quæ non. Innui quoque, me plenè niti doctrinæ P. Cardenas; nemo enim ex pluribus à me lectis in tam arduâ, & dilatâ materiâ est, qui maiorem dederit lucem, præcipuè post 1. ab Innoc. XI. damnatam, & alias plures à Clem. X. & Innocent. XII.

Tom. III.

Ad argumentum §. 1. allatum, quod erunt N. 147. invalidæ omnes confessiones nixæ opinionibus improbabilibus de jurisdictione: quod approbatus in unâ Diocesi validè absolvat in aliâ: quod Regulares vi Cruciatæ absolvi possint a reservatis: quod ejusdem Cruciatæ vi possit alibi approbatus eligi ubique: quod vi privilegiorum juris corpori inferiorum possint Regulares indistinctè absolvere omnes, & absolvi: & aliæ similes opiniones. Ad argumentum, inquam, dico omnes similes confessiones tam certò levibus, & improbabilibus opinionibus nixas, fuisse certo ex se invalidas, nisi (N.B.) tales improbables opiniones fuerint ex ignorantia, & errore inculpabili à Confessarijs sibi olim certò probabiles. Si enim tales reputatæ fuerint, tunc non fuerint invalidæ: eò quia, ut dixi, Ecclesia Confessarijs ignorantia, & errore invincibili laborantibus certam dat jurisdictionem. Si enim Ecclesia certam dat jurisdictionem ei, cui jurisdictio est certò probabilis, immò ei, qui ex titulo putativo aut errore communi habetur ut approbatus, etsi non sit, ut docet Fidelium praxis, & plerique T.T. inter quos P. Suar. P. Less. Card. de Lugo, P. de la Fuente, & alij, quanto magis Confessori invincibiliter putanti se certo validè vi Cruciatæ aut privilegiorum absolvere, & invincibiliter credenti satis sibi esse ut alibi sit approbatus, & ut validè absolvat fœminas, satis ut possit validè absolvere viros; & ut validè absolvat ab Episcopalibus reservatis, satis ut ab aliquibus Pontificijs absolvere possit? Nemo enim, ut rectè ait P. Carden. *diff. 2. n. 72.* tenetur repetere confessionem, si certo probabiliter judicet fuisse bonam: ergo si tales poenitentes contriti, & integrè confessi sunt Sacerdoti putato vel errore communi, vel ex titulo colorato, approbato: & tales Confessores ex errore omnino inculpabili putarunt se validè sub dictis opinionibus absolvere, eò ipso illæ confessiones repetendæ non sunt, nam validæ fuerunt, eò quia Ecclesia positis illis circumstantijs certam illis Confessarijs dedit jurisdictionem.

Video aliquos ad hanc responsionem titubare; sed nemo ad certam responsionem titubare potest, nisi qui negligat circumstantias, sub quibus ea datur. Quis enim Catholicus non sciat quod ignorantia invincibilis excuset à peccato formali, immò, juxta fere omnes T.T. honestet formaliter actum? Contra quod tamen Catholicum principium quàm horrenda objeuntur! puta, quod mentiens non peccabit &c. quæ omnia d. 5. & 6. latè diluimus, dicendo, quod, Ss iij si quod

si quod oritur absurdum, oritur ex hypothesi ipsa; nempe, quod mentiens invincibiliter ignoret mendacium esse peccatum: quia hypothesi absurdâ datâ ut verâ, de fide est eum mentientem non peccare formaliter. Ita accidit in casu nostro. Omnes illæ confessiones factæ sub dictis opinionibus à Papâ damnatis, & ex se certò improbabilibus, & cognitæ ut talibus, sunt ex nullitate absolutionis ex se invalide. Quod si factæ supponantur eum Confessariis earum damnatarum inscijs, suasque interpretationes putantibus ex invincibili errore sibi certo probabilibus, immo veris, tunc quia Ecclesia in tali casu supplet jurisdictionem, dicendum eas confessiones, si cætera adfuerunt, fuisse certo validas: quod si hoc videatur alicui absurdum, culpet hypothesim, nam optima Logica docet, quod ex falso supposito ut vero, sequitur verum.

N. Modo certum est, quod omnis fictitia probabilitas, quam aliqui dabant damnatis, est tam patens, & à tot Decretis Pontificijs reprobata, ut solus ille ignorare possit eas

opiniones esse scandalosas, falsas, temerarias, perniciosas, qui *apertis oculis*, ut ait D. Gregorius, *ad ignem vadit*: atque adeo absolutiones sub iidem collatas esse prorsus nullas.

In.XII. Quare appositè prorsus Innocentius XII. declarat omnes confessiones *deinceps* faciendas, futuras irritas, & invalidas, supponendo vix possibilem deinceps Decretorum, & damnatarum ignorantiam: en ejus verba: *Confessiones autem aliter, & contra earumdem presentium, aliarumque Apostolicarum constitutionum formam deinceps faciendas, & excipiendas, præterquam in casu necessitatis in articulo mortis, nullas fore, irritas, & invalidas.* Idem asseruerat Clemens X. utens verbis de futuro; ait enim, *irritum quoque quidquid fuerit super his quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.* Quæ omnia maxime favent nostre responsioni.

N. Dices: Ex textu Clementis citato. constat confessiones *ignoranter* faciendas, habendas ut irritas; ergo præterita, etsi ignoranter factæ, fuere irritæ; ergo dici nequit potuisse ex ignorantia invincibili esse validas: nam ad summum sequitur præteritas non fuisse illicitas, quatenus ignorantia invincibilis excusat à peccato; fuisse tamen invalidas, quia ignorantia inculpabilis non dat valorem; alias inculpabiliter putans se esse Sacerdotem, cum non sit, validè in morte absolveret, quod nemo dicet.

N. Sed contra 1. quia egregiè Clemens ait, confessiones *deinceps* faciendas, etsi ignoranter fiant, seu ignorando esse damnatas

opinionibus sub quibus sunt, futuras irritas. Supponit enim talem ignorantiam non posse non esse culpabilem, ob rationes à Pontificibus proscriptas; Ecclesia autem non dat jurisdictionem laboranti ignorantia culpabili. Quis enim toties damnatas, & tot centuris affectas, & ubique notas suspicari possit invincibiliter ignorari? Sanè via hoc moraliter possibile est in Confessore; & quicumque ignorantia obtendatur, semper erit vincibilis; quod hodie datur in eo Confessione. Quod si reverà ignorantia sit eo in Confessore & penitente adhuc hodie inculpabilis, eâ suppositâ, confessio ex vi jurisdictionis valida erit, quia Ecclesia tunc tali Confessori analphabero dat jurisdictionem: & si quod inde absurdum, est vi absurde hypothesi; quod hodie datur in eo Confessore post tot Decreta adhuc ignorantia invincibilis.

Contra 2. quia hoc ipsum argumentum N. solum manet, dum dixi has phrasas, *confessio, do, error communis, titulus coloratus, quæ certis probabilibus, dant jurisdictionem seu valorem, non significare, quod ipsa eam dent, led esse motum judicandi, certumque indicium quod Ecclesia certam tunc det jurisdictionem, seu valorem in illis, quæ quoad valorem Sacramenti pendunt à dispositione Ecclesiæ, non in alijs: ergo cum esse aquam aut non aquam, esse Sacerdotem, aut laicum quod nemo laicus, nil mirum quod nemo laicus, cum careat Ordine, cui nititur jurisdictio, absolvere possit, nec Ecclesiam supplere jurisdictionem, cum omnis, durante statu laicali, incapax sit facultatis.*

Ex hac doctrina refutata manet responsio N. data, ut dicitur à Theologis Romanis, qui 1777 adfiterentur examini *propositionis primæ ab Innocentio XI. damnatæ*; nempe quod damnata unice loquatur de alijs Sacramenti partibus, quæ sunt de jure Divino; non de jurisdictione, cujus commissio, & limitatio est ab Ecclesiâ. At, eorum Romanorum pace, hoc non videtur subsistere, ut ait P. Card. diff. post 2. n. 140. quia Tridentinum sess. 14. cap. 7. Titulo 2. *per suum semper in Ecclesiâ Dei fuisse nullius momenti eam absolutionem esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut subdelegatam non habet jurisdictionem.* Si ergo absolutio sine jurisdictione ex perpetuo Ecclesiæ consensu est nulla, signum est jurisdictionem esse de jure Divino: neque necessariam ad valorem absolutionis: neque enim Ecclesiâ circa ea quæ sunt de essentia Sacramenti aliquid directè potest, ut docetur in materiâ Sacramentorum, etsi possit indirectè, ut clarè constat in Matrimonio, annul-

anullando hunc aut illum contractum, quo annullato, non adest contractus naturalis ad Matrimonij Sacramentum requisitus; & econtra, quo validato, adest. Præterea vix negari potest jurisdictionem absolventi non esse de jure Divino, cum Tridentinum *sess. 23. de Ref. c. 15.* expressè dicat conferri vi Ordinis à Christo Domino. Vid. *disp. 20. n. 227.* ubi dedi regulam discernendi essentialiam. Longè magis reprobata manet eorum responsio, qui difficultate pressi audent dicere jurisdictionem absolventi esse partem essentialiam, aut integram, non verò de essentiali Sacramenti. Illi enim ludunt verbis, dum concedunt esse partem essentialiam, negant verò esse de essentiali; quid enim est pars essentialis, quàm pars essentialis totius? Ergo si jurisdic-tio est pars essentialis Sacramenti Confessionis, est de essentiali illius. Isti verò aperte dicunt falsum, nam sine jurisdictione nulla est absolutio, ait Tridentinum *sess. 14. c. 7.* ergo nullum est Sacramentum. Accedit quòd Pontifices definiunt nullum esse Sacramentum ejus, qui à non approbato absolvitur, falsum dixissent; ergo supponunt necessariam ad Sacramenti valorem tum jurisdictionem, tum approbationem.

N. 155. Dices: Videtur falsum quòd Ecclesia nil directè possit circa materiam, & formam Sacramentorum: cum ipsi Theologi hoc posse videantur; nam jacens moribundus, satis ut unum tantum mortale exprimat, si cætera nequit, sanus omnia exprimere tenetur: ergo juxta omnes T. T. alia est materia Sacramenti quando quis sanus est, alia quando quis moribundus est. At hæc levia sunt, nam eadem ubique materia, nempe omnia mortalia, quæ quis habet, in suâ conscientia sunt semper; si potest, confitenda, ut rectè P. Bardi pag. 86. n. 39.

S E C T I O VII.

Alia objectio ex generali activâ, & passivâ absolventi facultate.

§. I.

Argumentum.

S U M M A R I U M.

An omnes Papa eadem gaudeant potestate, n. 156.
Urbanus VIII. extendit Cruciatam ad quinquennium, ibid.
An facultas data à Legato à latere intelligenda ad normam Tridentini, & Pontificum? n. 157. 158.

O B jicies: vel futuri Pontifices eâ amplif. N. simâ facultate gaudent quâ præteriti, 156. vel non? Quòd gaudeant, videtur innegabile, nam ab eodem Christo D. eandem illimitatam omnes in ordine ad regendam Ecclesiam hauriunt facultatem. Quod non gaudeant eadem illimitatâ facultate, indicare videntur Bullæ præteritorum Pontificum *perpetuo*, dicit Clem. X. inter cæteros, *valuisse*, quibus decernitur, & declaratur, quòd non approbatus non possit absolvere; quòd approbatus uno in loco, non possit vel vi privilegiorum, vel vi Cruciatæ absolvere, & absolvi: ergo Pontifices futuri nequebunt alicui dare privilegium, ut à quolibet, sive approbato, sive non approbato, absolvi possit. Rursus non poterunt Cruciatam extendere ad quinquennium, ut præstitit Urbanus VIII. ita ut Regulares absolvi, & absolvere quemlibet possint. Nam ex definitione ejusdem Urban. VIII. Cruciatæ nil potest Regularibus suffragari: & ex definitione Clementis X. confessiones factæ cum Sacerdote non approbato, aut alibi approbato, etiam sub cujuscunque privilegij prætextu sunt nullæ: & ex definitione Innoc. XII. similes confessiones factæ vi Cruciatæ sunt irritæ: ergo sequentes Pontifices eâ amplissimâ facultate non gaudent, quâ antecedentes. Hoc autem durissimum est.

Quòd si dicatur, ut dici debet, quòd omnes eâ amplissimâ gaudeant facultate, sequitur 1. quòd si Papa futurus concederet alicui privilegium ut à quolibet absolvi posset, tales absolutiones essent validæ: si autem forent validæ, eo ipso Clem. X. Urban. VIII. Innoc. XII. & quotquot Papæ absolutiones datas à non approbato, vel ab alibi approbato, vel Regulari sine Superioris consensu, definiere esse nullas, invalidas, & irritas, non esse definitiones infallibiles, quin esse fallibiles.

Confirmari potest: Demus Legatum à latere dare alicui Sacerdoti facultatem activam ut possit quemlibet absolvere, & passivam ut à quolibet absolvi possit. Ecce, vel ea facultas intelligenda est ad normam Tridentini, & Pontificum, ita ut Sacerdos ille, sive secularis, sive Regularis, nullum regularem absolvere possit, nisi sit approbatus ab Ordinario loci, in quo absolvit; & ita ut Sacerdos ille nullum Regularem absolvere possit, nisi habitâ à Prælato Regulari, cui Religiosus ille subijcitur, licentiâ: (idem servatâ proportionem dico de facultate passivâ, ut Sacerdos ille, quicumque sit, à quolibet absolvi possit.) Vel, inquam, ea collata à Legato facultas activa, & passiva intelligenda